



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De homine, cuius omnes liberos lupi suffocauerunt, cap. 65.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

CAPVT LXIII.

DVm Wilhelmus nouitius noster ex prima expeditione Ierosolymitana rediret Romam, casum ibi tunc recentem audiuit, vnde multi mirabantur: Bubulcus quidam bubalos iuxta urbem paucis viginti annis & amplius; die quadam, cum non procul a pascentibus in agro dormiret, quatuor ex eis conuenientes, frontes quasi ad colloquium coniungebant, & post horam, ad suum custodem currentes, tum pedibus calcando, tum cornibus ventilando, cum in frustra diuidentes interfecerunt.

De quadrupedibus.

CAPVT LXIV.

Rerulit nobis Abbas Daniel de lupa rem satis mirabilem: In⁺ Carpania, inquit, vbi scholasticus eram, scholaribus die quadam licentiatum fuerat ire ad siluas; qui in nemore lupæ antrum reperientes, catulos omnes eiecerunt, quorum pedes vnus bipenni sua amputauit: quibus recedentibus, lupa redijt, & vt catulorum pedes præcisos vidit, recedentes insecuta, solummodo eum, qui hoc egerat, nimirum furens impetiuit. Ille verò timens, arborem ascendit; quem cum insequi non posset, cœpit vnguibus circa radices fodere; & cum sic non proficeret, alios lupos aduocauit. Interim nūciantibus scholaribus, homines de villa cum gladijs, cuspidibus, & baculis ei in auxilium venientes, lupos abegerunt, in medio sui illum ducentes: Lupis inuitatis ad horam sequentibus, & redeuntibus, illa sola perseverauit, vindicare se tentans multis conatibus: & cum essent proximi villæ, lupa se periculo dans in ultionem catulorum, armatorum custodias irrupit, & scholaris gulæ insiliens, protinus extinxit; quæ statim occisa est. APOLLONIVS: Satis miror quòd scholarem illum præ cæteris cognoscere potuit. CÆSARIUS: Multa huiusmodi fiunt Dei iudicio, ex quibus est quod sequitur.

** For Kerpen vide cap. 67. infra.*

CAPVT LXV.

Homo quidam iuxta Aquisgrani tres habuit liberos: Eo verò tempore, quo Philippus ibidem coronatus est, multi in prouincia lupi videbantur:

bantur:

bantur: ex quibus vnus iam dicti hominis infantem extra domum reperiens, rapuit, quem collo suo injiciens, siluas petiuit. Miles quidam, casu per viam equitans, misertus infantis, post lupum cursitauit, eumque viuum & incolumem ex dentibus eius excussit. Non multo post idem puer, nescio quo Dei iudicio, a lupo rapitur, praefocatur, & comeditur. Habebat idem infans sororem maiorem se, quae cum die quadam missa fuisset in agrum ad hauriendum aquam de fonte, lupo, multis videntibus, ad illam cucurrit, & antequam homines subuenire possent, puellam extinxerat, intestina eius deuorans. Sic homo ille duobus liberis priuatus, cum tempore quodam guerrae uxorem cum suppellectile sua in ciuitatem transtulisset, tertium puerum ad custodiam domus suae, quoad usque reuertetur, dimisit: quem reuersus non inuenit, nec postea vidit, & verisimile est, quod a lupo, sicut ceteri, fuerit raptus atque suffocatus. Ex quo loquimur de lupis, referam tibi de lupo, quod nuper audiui, vnde satis mirabar.

CAPVT LXVI.

IVxta villam, cuius nomen excidit, lupo puellam adultam inuasit, dentibus brachium illius tenens: quam cum secum traheret, quotiens illa clamare coepit, clamantem durius percussit, & tacenti pepercit. Quid plura? Ducta est ab eo in siluam ad alium lupo, cuius gutturi os fuerat infixum; qui cum nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellae in guttur hiantis mittitur, a qua os, quod inheuerat, extrahitur: sanatus vero, mox cum suo collega puellam ad villam propriam reduxit. **A P O L L O N I V S**: Ego quendam iuuenem vidi, qui in infantia a lupis fuerat raptus, & usque ad adolescentiam educatus, ita vt more luporum supra manus & pedes currere sciret, atque vlulare. **C A E S A R I V S**: Haec de bestiis dicta sunt. Nunc vero de vermibus aliqua jungam, sicque distinctionem concludam.

CAPVT